

Joan. v, et quod: *Portat omnia Verbo virtutis suæ*, ad Heb. i et quod: *Omnia per ipsum facta sunt*, Joan. i: et quod: *Erat cum eo cuncta componens*, Proverb. viii, in his omnibus respectu ejusdem numero effectus, imo respectu omnium quæ fiunt, supponitur pluralitas in Deo faciente: ergo ista pluralitas et distinctio non sumitur in Scriptura penes connotationes diversorum effectuum cum etiam respectu cujuscumque indivisibilis effectus eadem pluralitas supponatur.

VII. Cum ergo teneamus in Scriptura distinctionem et pluralitatem aliquam in divinis poni, restat videre quomodo deducatur ex ipsa Scriptura hanc distinctionem esse Personarum. Nam cum Scriptura, ipso personæ nomine non utatur, cum istam distinctionem in Deo ponit, posset hæreticus, aut Judæus subterfugere, et dicere primo, quod ista distinctio non probatur esse de rebus intra Deum procedentibus et distinctis, sed distinctionis numerum poni ratione alicujus rei creatæ adjunctæ. Secundo, quod ista distinctio non est Personarum aut relationum, sed attributorum seu virtutum, quæ sola ratione in Deo distinguuntur, sed explicantur apud nos modo nostro, sicut si vere distinguerentur, quia diversos effectus faciunt. Tertio, quod illa distinctio est Personarum non entitative, et realiter, sed secundum diversa officia seu munera, pro quibus diversas gerit, personas et in eminentia Dei infinita, una persona simplex in entitate omnia illa præstare potest, quæ plures personæ apud nos, et sic nominatur ac si essent plures Personæ.

VIII. Hæc subterfugia præcluduntur a D. Thoma iv contra gent. e, v, in fine, ostendendo, quod ubi ponitur vera filiatio et paternitas, debet poni diversum suppositum seu

persona. Nam Scriptura ponit in Deo verum Filium, et non solum metaphoricum i Joan. ultimo: *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo*: Sapient. ii: *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum*. Propria autem, et vera filiatio non dicitur nisi de supposito: non enim pes, vel manus et multo minus accidens, ut color vel calor dicitur filius alterius, sed solum est filius id quod est simile alteri, ut persona, quasi propagatum in similitudinem alterius. Ergo si juxta Scripturam verus Filius in Deo est, et consequenter verus Pater, oportet quod distinctio ista non sit virtutum, vel attributorum, aut effectuum ad extra, sed Personarum. Quod explicatur amplius, quia in divinis ponitur a Scriptura non quælibet distinctio, sed cum processione unius ex alio, et cum illis terminis et significationibus quibus significantur, vel demonstrantur Personæ, non formæ, aut potentiæ, aut virtutes vel effectus: nam ponuntur articuli demonstrativi personarum quando ponitur illa distinctio, ut ego, tu, hic, ille, alius, et similia, quibus non demonstrantur nisi personæ, et supposita, non partes, non accidentia, aut attributa, non officia, aut virtutes: nam hic homo, ille homo, etc. individua ipsa, et supposita demonstrant: nec utendum est nominibus, et significationibus pro libito, sed juxta modum communem loquendi e utendi. Dicitur etiam unum illorum esse cum alio apud alium, in alio, quod solum de Personis dici consuevit: et uno verbo istæ res distinctæ in Deo eodem prorsus modo significantur, sicut cum distincti homines, vel Angeli nominantur, quos distinctas esse personas, et supposita nullus nisi insanus dubitare potest; et tamen Scriptura etiam non exprimit ipsos nomine personæ: ergo neque dubitari potest quod illæ tres res, quas

distinguit in Deo sint Personæ, licet nomine personæ non exprimantur. Hoc ex testimoniis relatis manifestum fit: nam de Filio et Patre dicitur Psal. ii: *Ego hodie genui te*, et de seipso Christus Dominus Joan. viii: *Ego ex Deo processi*, ubi ly ego, et ly te significant distinctionem propter processionem, quia nullus gignit se; ergo et distinctionem personalem propter pronomina demonstrativa: nec enim istis pronomini- bus designantur nisi personæ: si ergo res illæ distinctæ in Deo sunt capaces istorum pronominum, sunt personæ: nec enim manus, vel pes potest dicere: *Ego feci hoc*, vel tu fac illud. Similiter ponitur pronomen ille, et hic, nam dicitur Matthæi iii et xvii, et Lucæ ix, fuisse auditam vocem Patris: *Hic est Filius meus dilectus*, ubi ly hic demonstrat Personam, et non ipsum Patrem, quia non demonstrabat seipsum, nec ut audiretur, se proponebat: ergo aliam Personam designabat. Et similiter invenitur pronomen ille, et ly alius, ut cum de Spiritu sancto dicitur Joan. xvi: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, ille vos docebit omnia quæcumque, mandavi vobis; alium Paraclitum mittam vobis*: et Joan. v: *Alius testimonium perhibet de me*. Præterea, quando dicitur Joan. viii: *Qua duorum hominum testimonium verum est*, manifeste loquitur de diversis suppositis seu personis, id est, de testimonio duorum hominum: ergo cum statim subdit, quod: *Ego testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater*, eodem modo ponit distinctionem personalem inter se, et Patrem; alioquin inepte duceret argumentum ex pluralitate personarum in hominibus ad firmandum veritatem testimonii, ex eo, quia plurimum personarum testimonium est, si quando infert, suum et Patris

testimonium similiter habendum esse pro vero, quia plurimum est, non loqueretur de pluralitate personarum, sed diversorum officiorum, aut attributorum, ejusdem personæ, cum tota firmitas testimonii fundetur in eo quod feratur, et testificetur a pluribus personis. Unde fit quod in aliis etiam testimoniis, in quibus hoc ipsum dicitur, ut Joan. xv, de Spiritu sancto: *Ille testimonium perhibebit de me*: et Joan. ultimo: *Tres sunt qui testimonium dant in celo Pater, Verbum et Spiritus sanctus*, aperte distinctionem personalem designent illa verba, quia testimonium illud, ut firmum sit, exigit pluralitatem in personis testificantibus; et illa particula tres in masculino personas designat, non officia, aut proprietates, vel connotationes ejusdem personæ; hæc enim omnia non sufficiunt ad verificandum quod sunt tres ferentes testimonium.

IX. Denique, in Scriptura significatur ista distinctio eo modo quo distinctio inter personas apud nos, et non eo modo quo diversa officia, vel connotationes aut respectus, et hoc etiam ante ipsam incarnationem vel ante quemcumque effectum Dei aut creaturarum: ergo intra ipsum Deum ponitur realis, et vera distinctio Personarum, et non solum ex diversa connotatione, aut respectu ad effectus ad extra, vel ad incarnationem. Antecedens constat: nam etiam loquendo ante incarnationem dicitur Verbum seu Filius esse apud Patrem cum Deo, in Deo, possessus a Patre, genitus a Patre, et sedens cum ipso, ut patet in auctoritatibus supra inductis Joan. i: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum: Unigenitus qui est in sinu Patris*: Joan. xvii: *Clarificame Pater claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te*: Proverb. viii: *Dominus possedit me in*

*initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio: et infra: Cum eo eram cuncta componens: et Psal. cix: Ante luciferum genui te. Et ille ipse qui est genitus ante luciferum dicitur sedere a dextris Dei. Similiter dicitur ille ipse distinctus a Patre facere omnia quæ Pater, Joannis i: Omnia per ipsum facta sunt: Joannis v: Pater meus usque modo operatur, et ego operor: et infra: Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit: ad Hebr. i: Portans omnia verbo virtutis suæ. Ex quibus deducitur argumentum: Res illæ quæ distinctæ et plures nominantur in divinis, ita nominantur distinctæ, quod una est apud aliam, cum alia, sedens cum illa, componens aut faciens cum illa, genita et procedens ab illa. Hæc autem etiam in communi modo loquendi non verificantur de diversis connotationibus, respectibus, officiis aut proprietatibus ejusdem rei, sed de diversis Personis: ergo illæ res quæ ponuntur sic distinctæ in divinis a Scriptura, sunt Personæ diversæ, non connotationes, aut officia ejusdem Personæ. Major continetur in locis allatis ex Scriptura. Minor ipsa experientia, et communi loquendi usu constat. Quis enim dicere potest de mea risibilitate, aut intellectu, aut potentia visiva quod est apud me, sedet apud me, est genita a me? Sed quod inhæret mihi, aut inest in me. Et si est eadem Persona juxta diversa officia seu effectus aut connotationes illorum, sicut Sabellius dicit esse Patrem ut creatorem omnipotentem, Filium ut incarnatum, Spiritum sanctum ut sanctificantem, quomodo potest etiam ante incarnationem dici quod ille Filius est apud Patrem, est cum Patre, est in sinu Patris, est genitus ab illo ante Luciferum? Numquid ut supra dicebamus, si unus rex exercet plura officia et munera diversorum reg-*

norum, ut rex Hispaniæ, qui est rex Neapolis, et Siciliæ, et comes Flandriæ, potest dici, quod illamet persona regis, comes Flandriæ est apud regem Hispaniæ, sed et apud ipsum, et genitus ab ipso, componit cum ipso, est in sinu ejus? Nonne hæc esset insensata locutio? Quare ex ipso modo loquendi Scripturæ non solum significatur distinctio quæcumque in divinis, sed etiam distinctio Personarum, licet ipsum nomen personæ non exprimat, cum eodem modo loquatur de ista pluralitate in divinis, sicut de pluralitate inter homines, in quibus personalis distinctio reperitur, et tamen in illis non exprimitur ipsum nomen personæ.

X. Et sic solvuntur instantiæ supra allatæ, pro subterfugiendis locis Scripturæ. Dicitur enim ad primam, quod illa distinctio, quæ in divinis ponitur a Scriptura, non est ratione alicujus rei creatæ adjunctæ ipsi Deo, sed intra Deum antecedenter ad omnia creata, et ante incarnationem vel sanctificationem creaturæ, tum quia ponitur processio, et generatio in divinis ante omnem creaturam: ergo et pluralitas seu distinctio ista poni debet ante omnem creaturam. Patet consequentia, quia nihil generat se aut procedit ex se, nisi generatio sit ficta et chimærica, quam nefas est a Scriptura poni in Deo. Antecedens vero constat, cum dicatur Filius ante Luciferum genitus, et Sapientia prodiisse ex ore Altissimi, primogenita ante omnem creaturam, et Verbum esse in principio apud Deum; tum etiam quia per illudmet quod ponitur distinctum et genitum a Patre dicuntur facta omnia Joan. i et ad Heb. i, Proverb. viii: *Cum eo eram cuncta componens: ad Coloss. i: Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ, et omnia per ipsum et in ipso creata sunt:*

Psal. xxxii: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ergo ante creaturam aliquam illam illud Verbum distinctum dicitur in Deo, in ipso ponitur ut distinctum, scilicet ut genitum, ut imago, ut procedens, et tamen omnia creata faciens: non ergo ratione creaturæ adjunctæ distinctum ponitur in Deo, sed ante.

XI. Ad secundam instantiam dicitur, non posse verificari illam distinctionem penes attributa, virtutes aut potentias, quæ sola ratione in Deo differunt; tum quia alias non ponitur vera generatio, et processio in Deo, sed ficta et chimærica, cum tamen dicatur Filius unigenitus, et ante sæcula, et ante luciferum genitus, et ex Deo processisse, et Spiritus veritatis a Patre procedere, Joan. xv. Unum autem attributum non procedit ab alio, nec a Deo: sic enim distingueretur ab illo, et divisio fieret in natura, non solum in Personis. Dicere autem quod non est vera processio, ut non sit vera distinctio Personarum, est facere mendacem Scripturam, ut hæresis firmetur. Tum quia cum dicit Scriptura quod apud Deum est Verbum, quod in sinu Patris est unigenitus, quod sedet a dextris ejus ille qui est genitus ante Luciferum, quod cum eo est componens omnia, istæ locutiones non possunt verificari de eo, quod se habet ut attributum, ut virtus, et potentia Dei: hæc enim non recte dicitur, sedens a dextris ejus, non in sinu ejus, non apud ipsum, non genita ab ipso, non cum ipsa operans, et faciens præsertim cum Joannis v dicat Christus: *Quod Filius non potest facere quidquam, sed quod viderit Patrem facientem.* Quod autem se habet ut forma et virtus, seu principium quo faciendi, non convenienter dicitur quod facit id quod viderit Patrem facientem, sed est ipsa ratio et forma faciendi: ergo

non potest nomine Filii a Patre distincti accipi, id quod se habet ut virtus vel attributum aut potentia faciendi sola ratione distincta a Patre.

Ad tertiam instantiam constat ex dictis, quod in divinis ponitur distinctio etiam ante incarnationem, et ante productionem cujuscumque creaturæ: ergo non potest dici quod est eadem Persona, solum ratione diversæ connotationis ad diversos effectus distincta, cum ante tales effectus, et consequenter ante connotationem ad illos distinctio illa Personarum ponatur.

CONSUBSTANTIALITAS ET UNITAS NATURÆ CONTRA ARIANOS.

XII. Consubstantialitas et unitas naturæ in Personis ex duplici capite potest negari, vel quia existimant Personam aliquam ex illis, v. g. Filium aut Spiritum sanctum non habere veram divinitatem, sed esse naturæ creatæ; vel quia existimant vere divinam naturam habere, sed divisam, et distinctam, ponendo, quod divina essentia admittit divisionem, et non est una, ita quod tres divinæ Personæ non sint unus Deus, sed plures dii. Si enim in nulla Personarum est creata natura, sed divina, et illa non est divisa, sed una et eadem numero, hoc est idem ac dicere quod consubstantialis est, id est, unius naturæ numero, et indivisæ.

Hoc ergo secundum Ariani non sunt ausi dicere, licet Semiariani illi, qui dicebant Filium esse similem Patri in substantia, sed non consubstantialem, in hoc declinare videntur quod ponerent divisam substantiam, et essentiam Dei et plures Deos, quod tamen expresse concedere non audebant: nam ponere plures Deos, manifeste pertinet

ad paganismum; licet aliqui etiam hæretici duo, vel plura summa principia, seu Deos posuerint, ut in præcedenti tomo, disp. XI, art. III, retulimus. Sed error iste ita palmaris est, ut non possit affirmari, nisi ipsa Scriptura et ratio evidens naturalis clare negetur, ut citato loco ostendimus. Et nihil est in Scriptura frequentius quam Deus esse unum; et sic in ipsa lege proponitur, ut Deuter. VI: *Audi Israel, Deus tuus, Deus unus est*: et ad Ephes. IV: *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnia et per omnia, et in omnibus nobis*. Nec per pluralitatem Personarum, istam unitatem dividi, ipsamet Scriptura testatur, cum dicitur Joannis X: *Ego et Pater unum sumus*: et I Jo. ultimo: *Et hi tres unum sunt*. Imo et inter ipsos gentiles, unum summum Deum agnitionem fuisse, ita ut imperium summæ dominationis esset penes unum, officia penes multos, diserte affirmat Tertullianus in apologetico, c. XXIV.

XIII. Relicta ergo hac secunda via quæ ita in via est, et Scripturæ contraria introducendo plures Deos, quod nec ipsi Ariani ausi sunt dicere, et his temporibus Valentinus gentilis, cum primo posuisset, in Deo esse tres Spiritus æternos, videns id apertissime contrariari Scripturæ, declinavit ad Arianismum, posuitque Filium inferiorem Patre, et solum Patrem esse Deum. Et sic hæretici qui confitendo distinctionem Personarum negant consubstantialitatem, coacti sunt Personam aliquam facere creaturam, et extraneam a natura divina: nam, ut ipsemet Eusebius Nicomediensis, in epistola ad Concilium Nicænum scripsit, si ponitur Verbum increatum, reliquum est ut consubstantialis cum Patre ponatur, ut refert S. Ambrosius lib. III de fide, capite ultimo. Et licet Deum aliquando nominent, et similem Deo, et non si-

cut reliquas creaturas, ut fecerunt Ariani; tamen vere et proprie creaturam in sua entitate esse posuerunt, licet propter aliquam excellentiam peculiarem, metaphorice et participative vocarent Deum. Quare restat contra hos hæreticos probare veram et propriam divinitatem Filii, et Spiritus sancti supra omnem creaturam, (de Patre enim nulla est dubitatio) ea enim probata, unitas omnimoda cum Patre in natura divina, quod est esse ei consubstantialem, manet probata.

XIV. Igitur divinitas Filii vera et propria manifestatur in Scriptura præcipue quatuor viis.

Primo, simpliciter ipsum appellando Deum, eo modo quo Patrem ipsum, Deum appellat.

Secundo, æqualem illi eum asserendo.

Tertio, potestatem et virtutem eandem illi tribuendo; virtus autem cum sequatur formam et naturam rei, idem est tribuere Filio eandem virtutem, atque tribuere eandem substantiam et naturam.

Quarto, tribuendo ei superioritatem ad omnem creaturam, et inferioritatem creaturæ ei denegando.

XV. Primum ostenditur sic, tum ex testimoniis quibus Christus, et Apostoli probaverunt apud Judæos divinitatem Filii, tum ex his quæ ipsi dixerunt. Supponimus autem quod intentum Christi erat probare divinitatem suam esse veram, et talem, qualis est in Patre: nam de hoc solum erat dubium apud Judæos; ideo enim dicebant eum blasphemare, quod faceret se ipsum Deum, Joan. X et iterum Joan V: *Propterea magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: ergo intelligebant loqui de vero Deo, et de vera divinitate: nam si non faceret se verum Deum, sed creaturam,

licet excellentem, blasphemia non esset, nec æqualem se faceret Deo. Item quia Apostolis prædicabat Jesum esse Deum, taliter quod non rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, ut patet ad Philip. II, ergo probationes quas adducunt, et testimonia ad probandum quod Christus sit Deus, de vero Deo, et de vera divinitate loquuntur. Unde dicit Irenæus lib. III, cap. VI, quod: « Neque Dominus, neque Spiritus sanctus neque Apostoli, eum qui non esset Deus definitive et absolute nominassent Deum aliquando, nisi esset verus Deus. » Et idem docet capite octavo. Testimonia ergo quæ simpliciter Christum vocant Deum ea divinitate qua Pater, in veteri quidem testamento sunt, in primis Psalm. CIX: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*; ubi David eodem et pari modo vocat Dominum illum qui dicit (qui utique est Pater) et illum cui dicit, nempe Filium: ergo si tam Dominus est qui dicit, quam cui dicit, tam verus Deus est Pater, quam Filius, quia potestas illa supremi dominii in deitate fundatur. Hoc loco usus est Christus Dominus ad probandum suam divinitatem, Matth. XXII, Petrus Apostolus, Actorum II, Paulus ad Heb. I. Unde efficacissimus debet censer. Et Paulus optime ponderat illam particulam *sede a dextris meis*, quæ contraponitur omni creaturæ quantumcumque excellentissimæ; nulla enim sedet ex propria dignitate, et meritis, sed ministrat: *Ad quem, inquit, Angelorum dicit: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, etc.?* Inde ducitur argumentum: Ille qui est Dominus, et sedens a dextris Dei, non reputatur respectu Dei ut minister et inferior; quia minister respectu ejus cujus est minister,

non potest dominus nominari; sed Filius non dicitur minister respectu Dei, sed Dominus: ergo non est creatura. Minor constat, quia creatura quantumcumque excellentissima, est ministra Dei, quia dependet ab illo ut effectus, ut ex nihilo facta, ut non habens esse a se, nec operationem: ergo non potest nominari Deus coram Deo. Ad idem deservit ille locus Genes. XIX: *Pluit Dominus ignem et sulphur super Sodomam a Domino*; ubi utraque Persona Dominus eodem modo vocatur, et est ibi in Hebræo nomen Jehovah, ut jam supra diximus, quod significat summum Deum. Idem habetur ex Psalm. XLIV, ubi ad litteram est sermo de Christo, et vocatur Deus in illis verbis: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui*, quem locum adducit Paulus ad Hebræos I, ad probandam divinitatem Christi. Et additur infra in eodem Psalmo: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum*. Nusquam autem in Scriptura ponitur adoratio facta ad Deum, nisi sit verus et proprius Deus, non participative tantum. Unde et Apostolus ad Hebr. I, probat divinitatem Christi ex eo quod de Filio Dei dicitur, Psalm. XCVI: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Quem enim omnes Angeli adorant, utique verus et summus Deus est: nec enim ipsi habent supra se creaturam aliquam, quam adorent, quia supra omnes Angelos, non restat aliquis alius creatus Spiritus. Item Isai. XLV, loquens de Salvatore, qui utique est Christus, et quem adorabunt, et deprecabuntur gentes, aperte ipsum vocat Deum dicens: *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergunt, et te adorabunt, teque deprecabuntur*: